PAULI 'S GRAEUWEN

ORATIO

INAUGURALIS

DE

DICTO MAGNI BOERHAAVII

in Aph. de cogn. & cur. morbis §. 1403.
in fine

PROPHYLAXIS INSITIVA VIDETUR SATIS CERTA TUTAQUE.

PUBLICE HABITA

A. D. 11. JUNII, ANNI MDCCLV.

QUUM ORDINARIUS MEDICINÆ PRAXEOS ET CHIRURGIÆ IN ILLUSTRI DUCATUS GELRIÆ ET COMITATUS ZUTPHANIÆ ACADEMIA PROFESSOR INAUGURARETUR.

HARDERVICI,

Apud JOHANNEM MOOJEN, Academiae Ducatus Gelriae, & Comit. Zutph. Typograph. Ord. CIƆ. IƆ. CC. LV.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30784554

PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS

AMPLISSIMISQUE VIRIS

ACADEMIÆ

DUCATUS GELRIÆ ET COMITATUS

ZUTPHANIÆ

CURATORIBUS,

D. FRANCISCO GODARDO BARONI AB LYNDEN,

DOMINO IN HEMMEN, BURGGRAVIO, JUDICI, ET AGGERUM IN NEOMAGENSI DITIONE CURANDORUM PRÆFECTO ETC. ETC. ETC.

D. JACOBO NICOLAO VAN DEN STEEN,

DOMINO IN OMMEREN ET WAYENSTEIN, TIELANÆ URBIS CONSULI ETC. ETC.

D. FRAN-

D. FRANCISCO JOHANNI
BARONI AB HEECKEREN,

DOMINO IN ENGHUISEN, BEURSE, CLOUSE ET LANGEN, COMITATUS ZUTPHANIENSIS SATRAPÆ, DELEGATORUM IN SENATUM ORDINUM COMITATUS ZUTPHANIÆ PRÆSIDI. ETC. ETC. ETC.

D. ASSUERO BARONI
AB HEECKEREN,

DOMINO IN RODERLO, ENGELENBURG, KHEL ET LIGTENBURG, CIVITATIS ZUTPHANIÆ CONSULI, AD SENATUM ORDINUM BELGII FOEDERATI LEGATO, REGIONIS PRINCELAND DICTÆ SATRAPÆ ETC. ETC. ETC.

D. FRE-

D. FREDERICO WILHELMO

BARONI TORCK,

DOMINO IN HEERJANSDAM, CAMERÆ RATIONUM DUCATUS GELRIÆ ATQUE COMITATUS ZUTPHANIÆ PRÆSIDI, ORDINIS TEUTONICORUM EQUITUM PROVINCIALI, GYMNASII NASSOVICO-VELAVICI CURATORI. ETC. ETC. ETC.

D. HERIBERTO A WESTERVELD,

DOMINO IN ESSENBURG, CIVITATIS HARDERVICENÆ CONSULI, JUDICII VENATORII SCABINO, GYMNASII VELAVICI CURATORI. ETC. ETC.

NEC

NEC NON

VIRIS GRAVISSIMIS ET CONSULTISSIMIS

D. SAMUELI ESSENIO,

J. U. D. CURIÆ DUCATUS GELRIÆ ET COMITATUS ZUTPHANIÆ SENATORI EXTRAORDINARIO, REDITUUM OOSTERVICI ET MAESLANDIÆ QUÆSTORI, CURATORIBUS ACADEMIÆ A SECRETIS. ETC. ETC.

D. ARNOLDO ESSENIO,

J. U. D. SCABINO ZUYLICHEMENSI, REDITUUM ECCLESIASTICORUM URBIS BOMMELIENSIS QUÆSTORI, ACADEMIÆ CURATORIBUS A TABULIS. ETC. ETC.

Hanc Orationem

L. M. Q. D.

PAULUS 'S GRAEUWEN.

PAULI 'S GRAEUWEN
ORATIO
DE
DICTO MAGNI BOERHAAVII
in Aph. de cogn. & cur. morbis §. 1403. in fine
PROPHYLAXIS INSITIVA VIDETUR SATIS CERTA TUTAQUE.

PERILLUSTRES ATQUE SPLENDIDISSIMI DUCATUS GELRIAE ET COMITATUS ZUTPHANIAE PROCERES, ACADEMIAE CURATORES! QUIQUE ILLIS ESTIS A TABULIS VIRI SPECTATISSIMI!

MAGNIFICE RECTOR!

URBIS HARDERVICENAE CONSULES ATQUE SENATORES AMPLISSIMI! HISQUE A SECRETIS VIRI NOBILISSIMI!

OMNIUM SCIENTIARUM PROFESSOFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI!

SACRI CODICIS INTERPRETES CASTISSIMI, FACUNDISSIMI!

OMNIUM SCIENTIARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

GYMNASII VELAVICI MODERATORES VIGILANTISSIMI!

CUJUSCUNQUE ORDINIS ATQUE LOCI AUDITORES HONORATISSIMI!

FLORENTISSIMA DENIQUE ACADEMICAE JUVENTUTIS CORONA, SPES PATRIAE ET ECCLESIAE, GAUDIUM PARENTUM, NOSTRA DEHINC CURA ET DELECTATIO!

VI-

VItam non ſolum cunctis infudit Animalibus Supremus & Sapientiſſimus rerum Conditor, at ſimul eum ipſis dedit inſtinctum, ut pretioſiſſimum hocce, ſibi largitum, donum conſervent, & ad quaevis pericula, ſibi inſidiantia, tueantur.

Obſervatur hoc aeque in minutiſſimis inſectis, atque in vaſtiſſimis brutis.

Quum vero hominis vita eo ſit pretioſior, quo ille magis antecellit caetera animantia, ſeverioribus ideo Nos quoque legibus ad conſervandam tuendamque vitam adſtrictos eſſe, ultro agnoſcimus.

Summopere itaque laudandi illi Viri, qui omni ſtudio & labore, in id incubuerunt, ut ſubſidia, humanae vitae ſalutaria, circumſpicerent, eaque in communem uſum transferrent.

Plurimi tales ab omni aevo extiterunt, qui, & arti incrementum, & humano generi commodum adtulerunt.

Hos inter, noſtris temporibus, non infimum ob-

tinet locum HERMANNUS BOERHAAVIUS, Medicorum facile Princeps, & ſtupenda ſua doctrina, & longa, eaque multifaria, experientia conſummatiſſimus Vir; cujus quoque, ut fidi olim Praeceptoris, gratam recordor, & recordabor ſemper, memoriam.

Vir hic, viva non tantum voce, & diſerto ore, quoad licuit, talia diſcipulis inculcavit, ſed & incomparabilibus ſcriptis, aetatem laturis, poſteritati reliquit, quae, uti humano generi ſalutaria, ſic & omnium attentione & admiratione digniſſima, merito cuique intelligenti videbuntur. Is, ne alias memoranda, exempla producam, etiam hocce protulit effatum: *Prophylaxis inſitiva videtur ſatis certa tutaque.* Aurea verba! paucis penſitata, pluribus neglecta; noſtra autem attentione hac hora digniſſima; dum hiſce diebus Variolarum Inſitio ſcriptis plurimorum ac meritiſſimorum Virorum, tam in noſtra, quam in exteris Regionibus, omnimodo coeperit ventilari & extolli, atque contra multorum inſultus defendi, eo armorum apparatu, quae, non aequa

qua tantum ratio, ſed & ſufficiens experientia, ipſaque etiam ſanctiſſima Religio, abunde ſuppeditant. Hanc ego materiam, ſolemni hoc die, quanta potero brevitate, tractandam mihi propoſui, materiam inquam, quae, uti noſtra indagine neutiquam indigna, ſic a munere, mihi demandato, ac perſona, quam ſuſtineo, minime, ut quidem confido, cuiquam videbitur aliena.

At at! qui ego novitius Orator me concioni huic ampliſſimae ſiſtere auſim, cujus quidem venerabilis adſpectus ita me afficit, ut vix, niſi perturbato animo, titubante genu, linguaque tremula, ad rem ipſam me accingam. Ubi enim has, eruditioni ſacratas, Ædes; ubi Cathedram, toties a Viris magnis, doctrina & eloquio praeſtantibus, ornatam intueor; & mecum reputo, tum muneris oblati, tum materiae tractandae, gravitatem; atque inſuper conſidero ingenii tenuitatem, curtamque eruditionis ſupellectilem, nec non dicendi imperitiam, eo usque percellor, ut ferme coepti peniteat; at-

que pedem plane referrem, niſi me Veſtra AA. OO. HH! recrearet benignitas, & experta jam ſaepe facilitas, quam etiam nunc Vos mihi haud denegaturos confido. Favete itaque Linguis! favete animis!

Ut inde ergo incipiam, rudiore primum penicillo adumbrare, eſt animus, quae de Inſitionis ortu, progreſſu ac fatis, prae caeteris notabilia, apud probatiſſimos hujus rei inveſtigatores deprehendere potui: disquiſiturus porro, num ea ſatis certum tutumque ſit habendum remedium prophylacticum? Ut exinde pateat, culpanda ne ſit & rejicienda; an vero contra laudari, promoveri, & ubivis grato animo recipi mereatur.

Inſitionis, ſeu, ut ita dicam, Inoculationis, quae hodiernis Graecis Φηλίασμα dicitur, inventionis locus & tempus non adeo ſunt certa, quin de iis inter plures diſceptetur.

Aſiae autem illam ſuam debere originem pauci fere ſunt, qui non credant. De ſpeciali tamen Regione, cui is debeatur honos non aeque con-

convenit inter omnes. Sunt enim qui Circaſſiis; ſunt qui Tartaris & Georgianis; ſunt etiam qui illis, qui Caſpio Mari adjacent, iſtam laudem tribuunt. Alii autem Chinenſibus, alii Bengalenſibus, aut Indoſtano Populo inventi gloriam deberi contendunt. Neque deſunt tamen ſecus ſentientes, quibus viſum fuit cum Aſia de hac laude concertare poſſe Africam. Id utique, ex certa inveſtigatione, conſtat in Tripolitana, Tunitana & Algerana ditione Inſitionem hanc, ultra hominum, ibidem viventium, memoriam, frequenter fuiſſe exercitam; atque inter ferociores hujus plagae incolas jam dudum obtinuiſſe.

Prout autem juſtum, quo primum coli coepit, inventi tempus, apud modo memoratos Africae populos, non accurate deſignari poteſt; ſic etiam res ſeſe habet cum caeteris, qui in cenſum venire poſſunt.

Ne tamen exiſtimetis, velim, AA. HH. Inſitionem hanc in noſtra etiam Europa hactenus ignotam, ac prorſus non fuiſſe exploratam.

Prae-

Praeterquam enim, quod in vicino Nobis Angliae Regno, & potiſſimum in meridionali Walliae parte jam, a multis retro temporibus, mos invaluerit, Variolas cum ſanis communicandi, bono equidem ſcopo, ad praecavendos nempe triſtiores effectus, a forte ſponte prognaturis exſpectandos; ſed rudiore tamen methodo, minimeque ſub Inſitionis, ſed potius ſub emtionis & venditionis, titulo. Sic veris conſtat teſtimoniis, anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo & tertio, Inſitionem primum e Theſſalia, haud ignobili Graeciae parte, delatam fuiſſe Byzantium; idque per mulierem quandam, callidam ſatis atque aſtutam: Haec quippe, famae ac rei ſuae maxime intenta, illam heic loci exercuit, non tamen niſi multa adhibita ſuperſtitione, quo melius artem ſuam celare, & populo fucum facere, poſſet; quod & in celebri illa & populoſiſſima urbe, maxime inter Graecos Armenosque ibidem degentes, ex voto ſucceſſit.

Uti autem locus incertus, & inventi tempus in-

incognitum eſt, ſic non minus in Democriti quoque latet puteo, caſu ne, an ratiocinio, an vero ſumpto experimento fuerit nata. Imo, non vana eſt ſuſpicio, ipſam plebem, tenero in prolem ſuam affectu, & perſuaſione inde proventuri boni, ductam, eam inveniſſe & exercuiſſe. Id ſaltem conſtat neminem inveniri, qui aut ſibi, aut alii cuidam, privam inventi gloriam adſcribat.

Erudito autem Europaeo Orbi tandem innotescere coepit ab anno inſtauratae generi humano ſalutis, milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, quando Inſitionis nomen & fama Byzantio Londinum pervenit, ſed & vario cum eventu. Novitas enim rei plurimorum mire percellebat animos. Metus hos, religio illos deterrebat. Hinc & per totos octo annos omni experimento deſtituta jacuit: a rudioribus etiam & inſciis temerario modo damnata, quin & anathemate percuſſa. Sed quid fit? Anno milleſimo ſeptingenteſimo viceſimo primo ſexus ſui ſplendidum decus, *Maria Wortley Mountague*, Le-

gati Brittannici apud Turcarum Imperatorem conjux, in patriam redux, Londini experimentum in unica, eaque tenera, filiola tentat, quod ipſi, ex voto, Byzantii cum unico filio ſucceſſerat. Eventum ea res habuit fauſtiſſimum, plurimis obſtupentibus. Mox itaque excitabantur magni, quos Anglia profert, Viri; qui, rem ſummi momenti putantes, omni modo ejus ulterius examen, Regis auctoritate & juſſu muniti, inſtituere decernunt.

Experimenta ſumuntur, optimo cum ſucceſſu, in ſex capite damnatis, dein & in aliis; atque etiam in nonnullis magnatum domibus; donec tandem ne ipſa quidem Regia Familia dubitaverit, cariſſima ſua, quin & totius Regni, pignora operationi huic, tot laetis adeo ſucceſſibus jam probatae, ſubjicere.

Non mirabimini AA. HH., ſi dixero, Inſitionem hanc, per magnam Angliae partem, fuiſſe promotam, atque etiamnum in dies invaleſcere. Quid ajo? Longe etiam inde diſſitae Regni hujus in America Provinciae ipſam grato ani-

animo receperunt. Neque Germanica Regis poſſeſſio, Inſitionis fructu diu carere voluit; ſed & felicia tandem incrementa apud alios cepit.

Rei interim novitas non tantum, ſed & mirus ſucceſſus, varie hominum affecerunt animos, ita ut colloquia ſcriptaque hujus rei curioſorum vix, niſi de Inſitione, agerent, non tamen ſine mutuis concertationibus; quoque magis damnabatur ab his, eo magis extollebatur ab illis. Succeſſus interim tam frequentes, tamque indubii, effecere tandem, ut & exteri eos agnoverint ultro; & cordati quoque Viri ſibi jam perſuaſum habeant, in Inſitione iſthac veram prophylaxeos methodum eſſe repertam. Saltem horum famæ permotus, Noſter, non ſine honore nominandus BOERHAAVIUS, qui tantam ſibi in arte ſalutari paravit laudem, quantam vix unquam quiſpiam alius, cujusque promotioni, cautis & fidis experimentis caſtoque ratiocinio unice obtinendae, ſtudebat, poſtremis Aphoriſmorum Practicorum editionibus, notatu digna verba adjunxit: PROPHYLAXIS

INSITIVA VIDETUR SATIS CERTA TUTAQUE. Caute haec ſcripſit Vir magnus, aeque ac candide; certus rem iſtius momenti, ulteriore experimentorum inſtitutione eousque, & poſſe, & deberi ad liquidum perduci, ut poſthac de ejus utilitate nullum reſtet dubium. Sane, ſi voto Cel. Viri reſpondiſſet ſucceſſus, inveniendi ſcil. peculiare contra varioloſum venenum antidotum, quod protinus illud, jamjam receptum, corrigeret & enervaret, omnino Inſitione carere nos poſſe, quivis aſſereret. Non eſt tamen AA. OO. HH. quod ſimus usque adeo felices; hinc, meliora exſpectantes, videamus quid pro Inſitione, ut ſatis certo tutoque remedio prophylactico, militare videatur. Hoc ſerio expendendum aequis rerum arbitris lubens permitto.

Inſitio, ubi recto ordine inſtituitur, fit in ſubjecto non morboſo, ſed ſano, nulloque hactenus myasmate varioloſo correpto. Huic communicatur materia varioloſa, e tali deſumpta corpore, quod ex epidemico Variolarum morbo

bo actu decumbit, cui adeo ipſum inhaeret virus; quod ergo a ſano recipitur, illumque inficit. Hocce ſic communicato pure contagioſo, excitatur ipſe Variolarum morbus, nunquam alius; isque, licet mitior, vere tamen talis eſt, cum eodem plane, quoad expulſionem veneni, quam in epidemico malo ſolet conſpici, exitu. Id ſuis etiam teſtimoniis comprobare coacti ſunt tales in Anglia Viri docti, qui prius ſtrenue obloquebantur; ut adeo in illo Regno nunc fere nemo ſuperſit ullus, qui de ea re amplius ambigat.

Ut autem eo certius appareat, ipſiſſimum, & veri nominis, Variolarum morbum per illam Inſitionem excitari, attendi velim, quod halitus eorum, qui illam ſubierunt, maturis jam puſtulis, inficere ſoleat alios ſanos, cum illis commercium habentes; licet quoque iis in locis tunc temporis nulla regnarit epidemica conſtitutio; id quod pluribus illuſtratum eſt exemplis.

Quemadmodum vero epidemicum contagium, ho-

homines invadens, non omnes aeque afficit, verum aliquando adeo mite operatur, ut vix ejus effecta appareant: ſic quoque per Inſitionem nonnulli morbum quidem, ſed imperfectum, contrahunt. Deinde, uti revera tales ſunt, qui nullo vitae ſuae tempore peſſimo hoc morbo corripiuntur unquam; ſic pari modo per inſitionem, etiam repetitam, cum eodem pure, quod, ſub iisdem cautelis, aliis applicitum fuerat, Variolasque excitaverat, in nonnullis idem morbus minime producitur. Sicuti etiam, ut quibusdam recte obſervatum, ex centum videlicet numero, qui epidemici morbi periculo exponuntur, quinque fere ſunt, qui tota ſua vita eundem non contrahunt; ſic quoque ex pari numero eorum, qui Inſitionem experiuntur, totidem ferme ſuperſunt, qui omnino nullis Variolis inficiuntur. Merito igitur praeſtantiſſimis in arte Viris probabile viſum: Per Inſitionem ſolummodo Variolas cum illis communicari, quorum corpora a natura ad ſubeundem hunc morbum ſunt diſpoſita, inque eum ſerius ocius delabuntur.

Prae-

Praeterea veluti qui ſemel verum epidemicum habuerunt morbum, eundem deinceps, ſi perraros forſan caſus aliquos excipias, altera vice non recipiunt; Sic neminem invenies, cui demonſtrare adhuc licuit, ullum eorum, quotquot fuerunt, fuerunt autem plura millia, qui poſt admiſſam in ſe Variolarum Inſitionem, illis laborarunt, ſaeviente in alios longe lateque licet epidemico contagio, eo iterum fuiſſe infectum. Denique, qui Variolas duntaxat imperfectas Inſitione habuerunt, aeque, atque priores, omni tempore immunes extiterunt. Quod & cum illis, qui operationem in ſe irritam compererant, obſervatum eſt: etenim nec furens contagium, neque cum illis, ex peſſimo Variolarum morbo decumbentibus, commercium, neque ipſe in eodem lecto decubitus, neque, ſumma cum cura, plus ſemel, iterata Inſitio, in his aliquod Variolarum ſymptoma excitare valuerunt. Et, quemadmodum epidemicum contagium, in quem modo ſemel vires ſuas exercuit, eundem deinceps fruſtra adgreditur; ſic venenum

num Inſitione cum tali, qui antea, licet in prima infantia, Variolas, etiam pauciſſimas, contraxerat, communicatum, eundem morbum aut mali quidquam, creare neutiquam valet.

Quae, cum ita ſint, AA. OO. HH.! quis Veſtrum erit, qui amplius ambiget, quin Inſitio, rite celebrata, Variolarum ſit remedium vere prophylacticum atque certiſſimum? Certe, quum tot Virorum, etiam peritiſſimorum, experientia id doceat; tot numero, tantaeque perſpicaciae, teſtes id clament; nae! pervicax ſit oportet, & ſibi ſoli ſapiens fidensque, qui abhinc contraniti & aſſenſum denegare ſuſtineat.

Adſtructa ſic certitudine, reſtat, ut probemus prophylacticam hanc methodum haud minus eſſe tutam. Quod etiam factu erit facillimum.

Proponite enim Vobis, AA.! proponite quaeſo, quanta ſe prodat diſcrepantia inter ſponte ingreſſas, atque per Inſitionem contractas, Variolas. Illae quippe, incommodo ſaepe tempore, atque importuno valde loco, obveniunt, & regiones, civitates, vicos, pagoſque pervagantes, quos-

quosvis ſine discrimine adgrediuntur, qui earum ferociam nondum fuerunt experti. Non canam venerantur ſenectam, non vegetam timent aetatem, non amabilem reſpiciunt ſexum. Neque etiam tenellis parcunt, neque imbecillibus; aut iis etiam, quibus corpus, vel ob propriam temperiem, vel ob notabiles in vitae ſuae regimine admiſſos errores, vel ob morboſam aliquam conditionem, vel ob horrorem contra illud malum, eo ſaltem tempore, ad ſuſtinendam hujus morbi vim, plane eſt indispoſitum: imo licet tales miſeri omnium auxiliorum inopes egentesque ſint. Eo itidem magis furere ſolent, quo ſubjecta offendunt, quorum ſolida nimis ſunt rigida, quorumve fluida magis ad inflammatoriam inclinant conſtitutionem. Quid plura? Verendus iſte, foedusque morbus clam plerumque obrepit, ac ſaepe inopinantes invadit, volitansque per aërem ab uno ad alterum transgreditur; dum vitalis aura pulmones intrat, & quae ſint aliae viae, ſibi per nares, vel os, vel per cutis ſpiracula, ad interiora patentes. Eos

ſaepiſſime itidem & citius adſequitur, qui, prae nimio contagionis metu, per fugam ſaluti ſuae conſulere, & periculo ſe ſubſtrahere, conantur; in quos fere tanto vehementius irruere ſolet, eosque frequentius conficere.

O! vere formidoloſum virus! miſeris mortalibus usque adeo infeſtum, ut & fortiſſimis horrorem incutiat; dum, ſemel ingreſſum, non eadem facilitate expelli ſe ſinit. Haud raro quippe, ubi ſemel ſibi viam aperuit, & humoribus permixtum eſt, ſe cum his per totum corpus diffundit, tantas ſaepe ciens turbas, ut non niſi infauſta appareant ſigna, aut ad minimum adeo dubia, ut quandoque vel optimum fallant Medicum. Vah! quam dira nonnunquam tunc obſervantur ſymptomata! quae vix ullo molimine, ullisve remediis, licet appoſitiſſimis, ſubigi, & vel parumper mitigari, ne dicam, plane tolli queant: Quam frequenter non nobiliores quoque partes omnino obſidentur, anguntur, inque ſuis operationibus miſere turbantur; donec haud raro, poſt ancipitem diu pugnam,

at-

atque maxime perpeſſas auxietates, ipſa Natura deficiat, & aeger, a morbo ſuperatus, in ipſo conflictus aeſtu occumbat? Quod, ſi etiam Natura tandem ex hac dimicatione evadat ſuperior, hoſtemque ad corporis peripheriam compellat; tunc ut plurimum videre eſt, aegrotantem numeroſioribus obſideri puſtulis, quae, utut in pus ichoremve converſae, nondum tamen inſidiantem hoſtem expellere potis ſunt. Quid? quod hoſtis tunc ſaepe, qui jam terga dediſſe videbatur, novos iterum paret tumultus, ac, majore veluti ira percitus, contra nitentem Naturam denuo inſurgat; imo & vitales & animales arces occupet; atque ſic, vel eo citius, hominem e medio tollit, vel, fractis ejus viribus, & corrupto vitali liquido, ſeu etiam deſtructo, vel admodum laeſo, nobiliore viſcere, eum lenta tabe conſumit.

Triſtis utique victoria! Ex qua vincenti nullus alius reſtat fructus, quam perpetuo languens vita, morte ſaepe triſtior. Verum triumphet haec de morbo, quam frequenter tamen illa

triſtis, & incommoda, redditur, dum orbatam ſe luget neceſſariis adeo ſenſuum organis, inſtrumentisque, quibus, ſi bona eſt, carere nequit! Ne nunc memorem quam foeda, quamque ingrata, ut plurimum, commiſſae acriter pugnae, eluctato remaneant indicia, quae vel pulcerrimam faciem omnino deturpant!

Heu! quot non e medio tollit atrox iſtud malum homines, familiis, ſeu ſocietati univerſae, ſaepe perutiles, qui per Inſitionem, probe rectoque ordine, inſtitutam, plus quam veroſimiliter, ſervari potuiſſent? Addo, ex tredecim, quod Anglis eſt obſervatum, aut vel ex undecim tantum, ad minimum duo per epidemicum, ſeu ſponte contractum, morbum ſternuntur, praeter caeteros, qui, licet ex eo eluctentur, miſere, ut jam dictum, plerumque ſunt deformati, & aliqua parte admodum mutilati. Sed & ubi aetate provectiores adgreditur nefandus ille hoſtis, majorem adhuc edit ſtragem, adeo ut ex centeſimo vix quartus, vel, ad ſummum quintus, e lethi faucibus eripiatur.

O!

O! infandum prorſus Venenum! quod ſubdole & ex improviſo homines adoriris, & intimis te praecordiis abſcondis, etiam innoxios non ſolum, ſed & bonos ſaepe & utiliſſimos corripis, nullisque te armis ſubinde expelli pateris, nec unquam, niſi & pluribus tua malignitate infectis, ſatiari ſoles!

Aſt nunc, inverſa ſcena, mecum attendite AA. HH! quam e contra facilis & ſimplex, quamque minime metuenda, & quam tuta haberi debeat, & revera habeatur a Viris in arte praeſtantiſſimis & judicio pollentibus, quibuscum paria conari mihi honorificum duco, methodus Inſitionis.

Si mentis oculos conjicimus in ipſam provocandarum & futurarum papularum matrem; mitioris multo haec erit naturae, deprompta videlicet ex puſtulis benignis & bene maturis; & quidem e ſubjecto junioris aetatis, ante invaſionem perquam ſano, nullaque alia labe infecto, quae metum facere poſſet ſcrupuloſioribus, ne per illam, etiam alterius generis, periculo ſeſe expo-

 nant.

nant. Aptiſſima eſt haec ad Inſitionem materia, dum non ſolum recens, carptis filis imbibita, idoneoque incluſa vasculo, vires ſuas exſerit; ſed & diu ſatis aſſervata medentis adhuc voto egregie ſatisfacit; hinc de loco in locum transferri & ſuo tempore applicari poteſt.

Subjectum etiam hujus Inſitionis eligitur ut plurimum junioris aetatis, etiamſi & haud raro in magis provectae feliciter ſatis ſit peracta; ſanum quoque, & in nullo hactenus verſans periculoſo, vel incommodo vitae ſtatu. Huic parvum & leve duntaxat uni, vel utrique, brachio infligitur vulnusculum, cui particula quaedam fili, pure iſthoc varioloſo imbuti, immittitur, digerente unguento & emplaſtro contegitur, & ad illum locum, idonea ligatura, firmatur. Quod ad ſcopum plane ſufficit.

Quemadmodum vero in Inſitione ſubjecti electio praecipitur, ita quoque utile erit illud, jam deſignatum, per aptam diaetam, &, ſi opus, ſimul per idonea remedia praeparare; tempusque legitimum in haec inſumere: quae omnia

omnia ſagaci Medico, aut adminiſtratori, peragenda libere relinquuntur. Magna ſane felicitas!

Praeterea, quod ſubjectum opportuno loco ſe contineat, inter proprios familiares, omni modo ejus commodo inſervientes; dum ſimul adeſſe debent & adſunt tales Viri, qui naſcendum morbum praenoſcunt, & quae ex arte ipſis agenda ſunt, in quibusvis circumſtantiis, liquido perſpiciunt: qui ſubjectum dulciſſima ſpe, ſi infantiae ſupergreſſum eſt aetatem, demulcere & a formidine nimia, ſi quae adeſt, in hoc morbo adeo evitanda, liberare poterunt, ut jam hoſtiles inſultus provocare, deque reportando triumpho optima quaevis ſperare queat.

Ipſa porro virulenta materia applicatur partibus, a capite & pectore, gazophylaciis illis pretioſiſſimis, ſatis remotis, & quidem corporis ſuperficiei externae; quae ſimul partes, prae caeteris, puſtulis obſideri ſolent. Imo etſi, quae excitantur vulnuscula, veneno introitum concedant, eadem, dico, viam patulam reddunt, & facilem, qua, dum fit conflictus, Natura ipſum,

ſum, aliquando totum, ſaepius pro inſigni copia, denuo expellit.

Ea inſuper ſeligitur anni tempeſtas, quae homini magis proficua eſt, minus veneno; vernalis nempe & autumnalis; qua non admodum metuendum eſt frigus, quod cutanea coarctat vascula, & ipſum venenum ad interiora repellit; aut etiam aeſtus, contagio vires addens, humoresque ad corruptelam magis disponens, & eam, ſi forte naſci coeperit, ſubito & inſigniter adaugens. Tum quoque, laudata nobis, Inſitio peragitur, ſi epidemica conſtitutio homines invadit, quando nimirum illa minus eſt ſaeva, hoc eſt in ejusdem initio, vel fine, dum illius, pro ſubjectis operationis, minor eſt metus. Differtur autem, ſi variolae graſſantur malignae, aut ſi alius quispiam, eo in loco, epidemicus regnat morbus, quo patiens vel affligi, vel notabili periculo exponi, poſſit. Quae quidem omnia gnarus Medicus ſatis praevidere, legitime dirigere & ſecundum artem rite adminiſtrare poterit. Conſiderate quaeſo nunc mecum

cum communicati myasmatis effecta & exitum? Agendi modus fere talis eſt; Ubi materia eo, quo dictum, modo, vulnusculo eſt indita, eaque ſe vitali latici commiſcuit, primis diebus vix quicquam admodum ſingulare obſervatur, aut, quod validioris alicujus hoſtilis impetus ſit praenuncium. Attamen, jamjam inſtare conflictum, monent plerumque ſigna illa: ſi poſt pruritum aliquem vulnusculorum, eorum ora pallere, & inaequaliter indurari, incipiunt, atque etiam levi cutis rubedine circumcingi; dum tandem ſicca quaedam cruſtula in conſpectum prodat. Interea autem dolor aliquis circa axillas accedere ſolet, bono ſane omine. Capitis vero deinceps quaedam obvenit gravitas, levisque dolor; ex oculis lacrymae decidunt; facies quoque rubeſcere, & interdum aliquomodo inflari, cernitur. Accedunt nauſeae, & ſubinde vomituritiones. Dicta haec ſymptomata ſerius ocius in diverſis apparere ſolent. A tertio, quartove, poſt operationem die, nonnunquam ultra decimum, terminus excurrit, ante-

quam febris, veneni expultrix, manifeſtatur. Ubi vero urina cruda fit, albumque deponit ſedimentum, jam jam inſtantis eruptionis fidelis eſt praemonitor. En nunc, provocatum ſerio, fervere occipit praelium! Sed quale? Certe non ita grave. Interni aliquot cientur tumultus, minime tamen efferati; adeo ut vix appareat, hoſtem vitalem, aut animalem, arcem petere; ſicubi enim ex vertigine quadam levique delirio conſpicitur ipſum, malo auſu, regiam animi ſedem infeſtare conari, ſolutis narium cataractis, mox cum nimis aeſtuante ſanguine, ab internis partibus avocatur, & protinus foras expellitur. Exitus autem laetiſſimus! Dum tandem univerſum hoſtile agmen, cum omnibus ejus copiis, ad ea compellitur loca, unde exire, vel erumpere, cogitur, poſthac rediturum nunquam. Sic totum hoc certamen, bidui, vel tridui, ſpatio, planiſſime abſolvitur. Valla quidem aliqua in extremis corporis limitibus exſtruere molitur, ex his nova quaſi ad interiora vibratura tela; verum & haec provida Natura, ſuis inſtru-

ſtructa armis, in purulentos quosdam convertit lacus, quibus ipſum hoſtem inundat, eumque ſic exturbat, ut tandem nihil relinquat, niſi quod, ſquammarum leviorum forma, cuti adhaeret, quaeque ſatis cito decidunt. Rariſſime vero in ultimo hoc ſtadio, quod vix usque ad viceſimum primum diem excurrit, novam febrim obſervabis; aut, ſi inſurgat, levis ſolet eſſe, minimeque pravis ſtipata ſymptomatibus.

En itaque brevi ſpatio, facilique, ut plurimum, lucta curam hanc prophylacticam transactam! En unica hac & ſimplici pugna, implacabilem ſaepius hoſtem omnino devictum! En hominem omni ejusdem mali periculo prorſus ereptum, ita ut novae invaſionis nullus ſuperſit metus; nec ulla fere commiſſi certaminis remaneant ſtigmata, quae aut corporis decus, aut formae venuſtatem aliquo modo laedere, aut imminuere queant! En integre ſervata cariſſima illa, & tenellae aeque ac mirandae ſtructurae, ſenſuum organa! En tandem, praefiscine dixerim? totius quoque hominis ſalvam vitam!

Verum regerentes audio: Inſitionem, utut tantopere jam laudatam, tamen non usque adeo eſſe tutam; dum varii poſt eandem celebratam, contracto variolarum morbo, perierint. Verum enim vero, quanquam id non abſolute negem, penſitetis velim AA. non equidem conſtare, ipſam illam Inſitionem, fatalis iſtius eventus cauſam fuiſſe. Per ſeriam quippe & ſedulam inquiſitionem ſaepe compertum eſt, calamitatem iſtam potius adſcribendam eſſe, minus caute obſervatis, & neglectis, legitimae operationis regulis. Dum aliquando optato ſucceſſui obſtitit, aut tenella nimis, aut nimis provecta, aetas; aut quandoque particularis ſubjecti alicujus intemperies; vel morbus quidam latens, vel jam manifeſtus; in ſequiori etiam ſexu graviditatis ſtatus; in aliis ſaepe notabilis in vitae regimine, & rerum non naturalium uſu, error: maxime vehemens animi pathema; aut denique etiam ſive urens aeſtatis fervor, ſive hybernum aëris noxium utique frigus. Quae fere omnia, vel ſingula, nonne a prudenti & intelligente admini-

ſtrato-

ſtratore evitari, corrigi poſſunt? nonne Inſitio ad idoneum magis tempus differri ſe patitur? Nemo hinc, ſi ſapit, ſe, praeſertim in hoc caſu, committat inſcio cuidam & audaculo, ut proh! dolor perſaepe factum, Thraſoni, aut nugivendulo, qui, ut plurimum, crumenae potius ſuae, quam ſaluti, aut vitae, proximi ſtudet. Quales vere merito homicidas inter habendi ſunt, & digni, in quos Lex publica ſevere animadvertat!

Sed & praeter jam dicta, obſervari velim, quod & certiſſime conſtat, pauciſſimos ſaepius fuiſſe, quibus Inſitio male ſucceſſit; etiam cum in illius adminiſtratione interdum varii & manifeſti admiſſi eſſent errores, qui praecaveri potuiſſent.

Sufficiat, ut brevitati ſtudeam, unum modo, & alterum, protuliſſe exemplum; ex quo pateat, quanto cum fructu eadem illa celebrata fuit: Ut taceam, ex diverſis inſtitutis obſervationibus, luce meridiana clarius conſtare, ſemper per Inſitionem, quanquam etiam ex voto minus feliciter ſucceſſam, plures longe ſervatos fuiſſe homines, quam

epidemico morbo correptos, licet & illi curae etiam praeſtantiſſimorum Practicorum fuiſſent commiſſi. Celebris quidam Medicus, *Antonius Le Duc*, qui Byzantii degens, ſibi ipſe Inſitionem fieri voluit & juſſit, per illam, nobis jam memoratam, mulierem Theſſalam, teſtatur liquido, illam eodem iſto anno, nempe ſaeculi hujus decimo tertio, ſex hominum millibus operationem inſtituiſſe, & quidem cum fortunato hoc ſucceſſu, ut, ex tanto numero, perierit ne quidem unus.

Praeterea in vicina nobis Anglia, recentioribus multo abhinc temporibus, in *Portsmouth* ſcilicet, *Guilford*, *Petersfield* & *Winchester*, dum Variolae epidemicae admodum malignae & pluribus lethales ibidem graſſarentur, bis mille homines operationi ſe ſubmiſerunt; e quibus duo tantum interierunt. Sed quales? duae nempe mulieres, eaeque gravidae, quae, utut ſatis de periculo admonitae, nihilominus in propoſito perſtiterunt, ſuamque adeo pervicaciam morte luerunt. Reliqui autem, morbo correpti, omnes evaſerunt integri. Quae

Quae cum ita ſint AA. HH. nemo erit Veſtrum, niſi me fallant omnia; qui debitam Inſitioni laudem denegare amplius ſuſtineat, & qui non ſibi perſuaſum habeat, in ea, legitime adminiſtrata, vere repertum eſſe illud, tamdiu quaeſitum, & omnibus deſideratum, certum aeque ac tutum, adverſus verendum adeo ac triſte malum, prophylacticum remedium.

O! ſi ὁ πάνυ noſter BOERHAAVIUS Vir mea quidem laude major, tot tamque feliciter inſtituta, in diverſis Regionibus, hanc in rem experimenta ſupervixiſſet! Nullum eſt dubium, quin Vir ille magnus pro ſuo candore, atque in rem Medicam & utilitatem publicam, ſtudio, omni niſu & opere in noſtra quoque Patria plenius aſſerturus, vindicaturus & promoturus fuiſſet! Bene autem habet, quod noſtra quoque Reſpublica jam nunc hujus inſtituti commodum, aliquibus in locis, coeperit experiri; non ſine ſpe fore, ut ſe inpoſterum etiam pluribus ſit approbaturum.

O! laudanda igitur Inſitio, quae jam tot homi-

mi-

minum millium ſaluti inſerviiſti! & porro inſervitura es! Tu quae Regibus & Principibus ſaepius ſobolem, Patriae & Eccleſiae columina, liberis parentes, parentibus liberos conſervas, & omnes ſecuros praeſtas a contagio tam maligno & formidabili!

Nonne itaque eſt, quod nobis gratulemur; de inventa tali certa, tuta, ſimulque facili, ac ſimplici, & appoſita methodo, ad praecavendos & averruncandos, tragicos, ut plurimum, foedi iſtius, ſponte ingruentis, morbi inſultus & exitus? Eſt quoque, quod DEO OPT. MAX. omnis boni benigniſſimo largitori, ex intimo pectore perſolvamus gratias, quod miſeros nos mortales tanto dono beaverit; ut eo, dum opus eſt, ſed recto, ſicut dictum, ordine, ſed prudenter & reverenter, utamur: ſemper memores mediorum omnium, quamvis utiliſſimorum, ab Ejus favore & clementia pendere unice.

Supereſt ut me ad *VOS* conferam *NOBILISSIMI* & *AMPLISSIMI PROCERES!* Illuſtris hujus

jus Academiae conſtituendae, curandae, ac publica auctoritate tuendae *SEXVIRI!* Ad *VOS* mea ſe convertit Oratio. Hoc monet hodiernus dies; monet pietas, & grata accepti a *VOBIS* beneficii memoria.

VOBIS viſum fuit, quum Medica in Veſtra Academia vacaret Facultas, Provinciam, quam per plures annos, in alias oras nunc evocatus, ornaverat Vir Clariſſimus JOHANNES DE GORTER, mihi demandare. Gratulor mihi Veſtrum de me, deque ſtudiis meis, tam benignum judicium, quo me, aegrotorum ad illud usque tempus lectulis tantum aſſuetum, haud indignum cenſuiſtis, in quem honorem hunc conferretis, cuique munus tam amplum, ſed & tantae gravitatis, imponeretis. Fateor me, primo hujus Veſtri decreti nuntio, non parum fuiſſe commotum, neque auſurum fuiſſe oblatam hanc mihi Provinciam, honorificam licet, in me ſuſcipere, niſi Divino fretus auxilio, Veſtraque nixus benevolentia, ea me erigeret ſpes, fore, ut mea conamina, ad promovendum ſtudium Me-

dicum, quo ab ipſa juventute mire delectatus fui, & hactenus delector, non plane irrita eſſent.

VOBIS ergo *VIRI SPLENDIDISSIMI!* publice grates quas debeo & poſſum, ago & habeo maximas, pro illo, quo me proſecuti eſtis, favore ac gratia.

Id vero ſpondeo, ſancteque polliceor, me omni animo & ſtudio in id incubiturum, atque nulli unquam labori parciturum, ut demandato mihi munere, pro virili, defungar; & omnium mearum virium contentione illuc enitar, ut ne *VOS* unquam, me in hunc locum promoviſſe, poeniteat. Cetera DEUM TER OPT. MAX. ſupplex veneror, ut *VOS* Patriae, Eccleſiae & noſtrae Academiae quam diutiſſime ſervet ſalvos & incolumes.

Ad Vos nunc accedo *CLARISSIMI* quarumvis artium & ſcientiarum *PROFESSORES*, *VIRI CELEBERRIMI!* qui e divite eruditionis Veſtrae penu florentiſſimae Juventutis Academicae animos largiſſime locupletare allaboratis. Gratiſſimo recordor animo, me, venerabili Ve-

ſtro

ſtro ordini, jam anno praeterito adſcriptum, tanto cum favore, humanitate & facilitate, a Vobis fuiſſe receptum. Sicut autem ſperare audeo, Vos me eodem affectu ulterius proſecuturos, ita publice teſtor, nihil mihi magis cordi futurum, quam ut Vos, quovis officiorum genere, demerear, meque Vobis probem collegam, ſocium atque amicum ſemper facilem, candidum & pacis amantiſſimum.

Sed & Vos compello egregii *JUVENES!* qui Medicae arti ſtudia Veſtra conſecraſtis. Veſtris me commodis totum devovi, hodieque devoveo ſolemniter. Labores noſtri, conatus & vigiliae Vobis praecipue inſumentur. Nihil mihi erit exoptatius, quam ut Vobis omnibus modis proſim, ut & Vos aliquando quam plurimis prodeſſe queatis. Veſtri enim in arte ſalutari progreſſus, ut nullo unquam tempore fovere atque promovere deſinam, ſic ne Vobis ipſi deſitis aliquando, amice moneo. Utimini me & duce Veſtro & comite. Quidquid habeo, quidquid valeo, quidquid aut ſtudio & experientia acquiſivi, imo & diligentia

ulteriore colligere & digerere poſſum, id omne, favente, & conatibus adſpirante DEO, in Veſtros uſus expromere conabor. Atque ita omnino partes, mihi Vobis exponendum concreditas, explere adnitar, idque claritate, fidelitate & aſſiduitate, quam potero, maxima, ne ullo modo Veſtris utilitatibus defuiſſe cenſear.

Hos noſtros conatus, ſi plurima Veſtra diligentia, attentione & frequenti labore, non neglectis ad DEUM calidis precibus, proſequi volueritis, praeſagit mihi animus, laetiſſimos inde ad Vos & alios redundaturos fructus. Sic enim modeſtia ornati, rerumque utilium ſcientia perfuſi, ad Veſtros redibitis, parentibus & conſanguineis futuri laetitiae, praeceptoribus honori, concivibus gratioſi, miſeris ſolatio, & Patriae tandem etiam utiliſſimi, bonisque omnibus acceptiſſimi.

D I X I.

ELEGIA

AD

VIRUM CLARISSIMUM

PAULUM 'S GRAEUWEN

SIc eſt. haud animus mortalibus obtigit idem,
Dum ducunt Genii ſemina quemque ſui.
Hic ſtrepitus armorum inter ſonitusque tubarum
Bella gerit valida, triſtia bella, manu.
Ducere araturos placet illi ad rura juvencos
Sub matutinis cantibus alituum.
Iſte agere externo gaudet commercia coelo,
Portat ubi aurifluas decolor Indus aquas.
Sunt alii, quos urguet amor non ſanus honorum,
Foedaque cogendae ſollicitudo rei.
Illi linquentes patriam, dulcesque Penates,
Per mare, per ſyrtes regia tecta petunt,
Usque ad Hyperboreos populos, quique omine diro
Nomen Tartareo de Phlegethonte gerunt.

Sunt etiam, Muſis ſua dant qui tempora, quique
  Currere amant gnavo Pallados in ſtadio.
Hi ſunt, quos ſequeris. Studiis tua tempora honeſtis
  Sacraſti, o Medici gloria, Paule, chori!
Usque ſalutiferi tibi culta altaria Phoebi,
  Inpoſita usque ſacris tura Sabaea focis.
Herbarum arcanas vires, uſumque medendi
  Noſſe, fuit voti ſumma caputque tui.
Priſcorum o felix! o felix vita parentum!
  Ante homines torſit quam genus omne mali.
Nondum letiferi tentabant corpora Morbi,
  Nec tetricus Pallor, nec Dolor ullus erat.
Arva nemusque Salus, Pax arva nemusque colebat,
  Errabat nudis nuda Charis pedibus.
Ipſa alimenta dabant pendentes arbore rami,
  Praebebant vivae pocula flumina aquae.
Non tunc cura ulli ſuccorum noſcere vires,
  Herbarum aut medicas radere cura comas.
Nulla homines mala, nulla angebant. Dulcia cuncti
  Ducebant veris tempora perpetui.

Et

Et tandem Pyliae quum venerat hora ſenectae,
  Claudebat placidus lumina feſſa Sopor.
Sed ſcelera ah! totum poſtquam diffuſa per orbem,
  Et Themis ad nitidi tranſiit alta poli,
Tunc ortum Morbi omne genus. Pallorque Dolorque
  Heu! nati, & tenebris Mors fera cincta ſuis.
At bene! quod Medico te tetri portitor Orci
  Pigrum puppe lacum paene ſecat vacua.
Non loquar exangui tot frigida corpora morbo
  Per te quae umbrarum non abiere ſpecus.
Urbs teſtis, Batavae quae laus & gloria terrae
  Clarata eſt cunis, Jane Secunde, tuis.
Vicina eſt teſtis tellus Zutphanica, ſerta
  Multa ubi fixa tuis quernea temporibus.
Ergo gaude, agnoſce tuam Zutphania ſortem,
  Atque hoc tolle tuo cive ſuperba caput.
Sed ne haec invideas Gelrae, urbs tu Gelra, Minervae
  Commoda: qui tuus eſt, eſto, ait illa, meus.
Hunc ego, quae plures alui fovique medentes,
  Rite ad templa voco jam mea jure meo.

 Sic

Sic viſum & Phoebo. Propera huc, o clare Machaon,
Ut mihi fama tuo ſurgat ab ingenio.
Haec Dea. Tu pares monitis, fauſto omine tendens
Ad templum Gelri nobile Palladii.
Salve igitur noſtrae ſpes o recidiva Minervae!
Salve o Paeonii gloria rara chori!
Jam novus eloquii ros mulcet pectora, quando
Dicta tui celebras aurea Boerhavii.
Boerhavii, quem laeta tulit ſuper aethera Fama,
Æterniſque aſtris addidit Uranie.
Jactet divinis ſe priſca medentibus aetas,
Atque herbas jactet Graecia tota ſuas.
Nos tua lingua docet, quod non docuere medentes
Priſci: plus aliquid nos tua lingua docet.
Talia non norunt Podalirius atque Melampus,
Non norunt Chiron, Paeoniusque ſenex.
O cede Hippocrates, & tu quoque cede Galene:
Nil valet hic herbis Graecia tota ſuis.
Paule, novos jam ſume animos. Tuus ecce magiſter
Plaudit ab ipſe choro ter tibi ſidereo.

JODOCUS JOHANNES STRUCHTMEYER.

ZU EHREN

Des Hochgelehrten und Weitberühmten Herrn

PAULI 'S GRAEUWEN

Medicinae Doctoris und Profeſſoris Ordinarii
zu HARDERWYK.

* * *

MIt wahn und irrthum ſich zu kämpffen/
Durch wahrheit vorurtheil zu dämpffen/
Iſt ed'ler geiſter helden ruhm;
Ein weiſer ſucht auff feſte gründen
Erfahrung mit vernunft zu binden/
Dieß bleymaß iſt ſein eigenthum.

* * *

Doch läſſt der Pöbel ſich nichts rauben
Von unvernunft und aberglauben/
Sein beyfall iſt ſein prieſter-ſpruch:
Was ſeine vätter nicht erzehlet
Iſt von der rechten ſchnur gefehlet/
Das alter iſt beweiſſ genug.

* * *

Auff ſeinen winck muſſ Phoebus drehen/
Ja täglich auff-und unter gehen
Mit ſeinen gläntzend feuer-licht;
Er ſieht aus ſeinen lufft-tapeten
Sich ſtürtzen ſternen und cometen/
Und täglich wieder auffgericht.

* * *

Die unt're grufft giebt donner keilen/
Die in der ob'ren lufft verweilen/
Biſſ ſie ein ſchneller flug belebt/
Biſſ ſie/ wie bomber aus den ſtücken
Die alte ſchlöſſer niederrücken/
Und alles raſſlend/ krachend bebt.

* * *

Er ſtaunt mit grauſendem entzücken/
Wenn von dem reiben ſtrahlen blicken/
Wenn pech und ſchwefel blitzend zündt/
Dürfft er nog ſcheiter-haufſte richten/
Er müſſte ſie im dampft vernichten
Die ſolcher kunſt ergeben ſind.

Mein

* * *

Mein Freund! Ich höre Dich ſchon klagen/
Doch halt! was wird man von Dir ſagen?
  Ich ſeh' Dich anff der rolle ſteh'n:
Sind das nicht unerhörte ſachen?
Man wagt ſich kranck zu laſſen machen/
  Um einer kranckheit zu entgeh'n:

* * *

Mann opffert willig leib und leben/
Mann will ſich frevhentlich ergeben/
  Wann uns das ſchickſahl nicht beſtimmt;
Ein gährend gifft entzünd't die ſäffte
Durchwütet und verheer't die kräffte
  Und glücklich! wenn's die haut nicht nimmt.

* * *

Wer weiſſ? ſoll man ſie wohl bekommen?
Zu ſpät! Jer wird ſchon weggenommen
  Durch eine frevel mörder-cur/
Und hat man dieſſ nûn ſchon erduldet/
Bin ich ſie denn nûr einſt verſchuldet
  Zum löſe-geld an der Natur?

* * *

Ey nûr gedult! Ich ſehe zeiten/
Da alle dieſe ſchwierigkeiten
  Durch den gebrauch ſind weggeraümt;
Die probe wird die wahrheit gründen/
Der aufſchlag wird beſtätigt finden/
  Das wahn und irrthum thorheit traümt.

* * *

Doch Dein verdienſt bleibt bey den weiſen/
Die kunſt und wiſſenſchafften preiſen/
  So Dich auff Pindus höhe führt:
Ich höre jetzt die Mûſen-ſöhne
Dir ſingen lob und luſt-gethöne
  Das Deinem werck und ruhm gebührt.

* * *

Dein nahme ſoll in weiten grentzen
Mit allen groſſen Männern glàntzen/
  Die nachwelt ſtellt die ſaüle da/
Dein glück und wohlſtand ſoll vermehren/
Nur nicht am nord noch kalten bären/
  Noch auff den ſchiff zum Ladoga.

E. ROFFHACK,
Medicinae Doctor & Poliater
Zutphanienſis.

TER EEREN

VAN DEN

WELEDELE en Hooggeleerde HEER

PAULUS 'S GRAEUWEN

Als zyn EDELE

Over het inenten der Pokken

Opentlyk

Met een eenpaarig handengeklap

Eene reedenvoering hieldt.

NAa dat het doodlyk kwaad en ſnoo begeerlykheid
De huwlyks leuze tot elkander hadt gezeidt,
Gepaart was, en verbonden:
Zoo bleev dit hels geſpuis niet dor en zonder zaad,
Maar teelden Spruiten voort, die land en burgerſtaat
Ontzielden, en verſlonden.

H *Een*

Een tweeling rees terſtont van 't mannelyk geſlagt,
Eer ooyt het aardſche hyer aan die verſchyning dagt:
Maar wonder! welke verven
Zal ik gebruyken om dit aaklig monſter dier
Te maalen zonder ſchrik helaas! ik aarzel ſchier,
En zou van vrees wel ſterven!
Zyn kop is hobbelig, zyn oogen puillen uit,
Zyn weezen is verlept gelyk 't gezengde kruid,
Pokdaalig zyn zyn wangen,
Zyn neus ſchynt halv verteert, zyn dik-lip is gevervt
Dan zwart dan weder paars, zyn voorhoofd is gekervt.
Zyn ſpichtig hair is ſlangen,
Zyn hals, zyn armen, jaa zyn bonkig maager lyv.
Is vol van laazery, van etter-builen ſtyv,
Zyn ſchinkels zyn gezwollen
Van allerly gebrek en ongemakken vol,
Dan trilt hy als een loov, dan is hy weder dol,
Dan weer aan 't zuizebollen;

Hy

Hy draagt en boog en pyl in zyn beplekte hand;
De zyzem-zwaajer ſtaat al hupplende aan zyn kant;
Hy is met hem getreeden
In onderling verbond, Hy zal het mensdom ſlaan,
En doen naa 't Schimmenryk in donkre kerker gaan,
Dit is geſtaavt met eeden:
Dus word de zwarte kuil met lyken opgehoopt,
Het waarelds-weemel hov van jong en oud geſtroopt,
De dood een magtig Koning.
Maar hy, die vaſte raad en zeekre wysheid heeft,
Die aan zyn wetten bind de ziel van al wat leevt,
En yder geevt belooning,
Die wierdt van 't moorden wars, het zat in zynen raad
Zyn oog te ſchieten op den jammerlyken ſtaat,
Zyn maakzel weer te helpen.
Het aarderyk ſchoot toe; de velden ſprongen by;
Het zeeryk zond zyn hyer, en ſchaarden ook een ry
Om die tyran te ſtelpen.

 De

De troepen zyn gereed: maar ziet daar is gebrek;
Het lighaam heeft geen hoofd, die naar een wysbeſtek
Die helden aan zal voeren.
De groote Wysheid ziet op ſlagtelingen neer
Die zy zal fokken om het leger van dien Heer
Te fnuiken en te roeren;
Zy treden voor het ſpits, geleerdheid is hun ſchild
Zy waaken voor verraad, en ſchermen niet in 't wild,
Het zorgen is hun kolder;
De kragten van natuur te pylen is hun zwaard;
Daar by wordt nog geſtaag voorzigtigheid gepaart;
En zyn de wonden holder,
Zy vraagen om beleyd, en haaſten tot hun hoofd,
Dat hun de nevelen en dikke wolken kloovd,
En daar op aan het vegten.
Hier braakt er een zyn ziel, daar ſmoorter een in 't bloed,
Daar leunt men op een ſtok, daar grypt men weder moed,
Daar zal men zich opregten.

Hoe

Hoe veele duizenden voor 't leger zyn geweeſt?
Hoe vaak die ſnoode beul gelilt heeft en gevreeſt
Voor deeze leger helden?
Kon myner duizend niet verhaalen naa waardy;
Ik ben een geeſſel waard, als ik my zulleks vly,
Ik kan dit nooyt vermelden:
Dit vlugt my egter niet, ik zie uw voor het front
HEER 'S GRAEUWEN! *vegten met geleerde pen en mond,*
Ik zie een yder hooren
Met opgeſpitſen oor met volle oplettenheid;
Terwyl gy voor het hyl van teere wigten pleit,
Dat 't yder kan bekooren:
Wat ziet men jonge telg die kryt, die krimt, die karmt,
Die op zyn baarſters ſchoot fluweele borſt omarmt
Door pokken pyl geſchooten,
Wat rypere ouderdom by hoopen ſnikt, en ſtervt,

Eer dat een derde deel zyn welvaart weder ervt,

Dit zoekt gy weg te ſtooten.

BOERHAAVE *heeft Uw leer al lang voor goed gekeurt!*

Uw kunſt is nimmermeer in ALBION *betreurt!*

Wat, wil men meerder wenſchen?

Al rukt des vyands magt haar troepen in 't geweer,

Gy plant in hun gezigt den zeege ſtandaard neer,

En kampt voor 't hyl der menſchen:

Gy draavt op 't braaven pad, en leert hoe groot getal,

Als men maar enten wilt, geredt wordt van den val,

En blyven by het leeven:

Die aards Tyran gefuikt laat telkens bangen zugt,

Hy bitſt een ander op, om dat hy neerlaag dugt,

En bang is voor het ſneeven;

Vaar voort! vaar egter voort! ik hoor een blyde galm,

Ik zie, dat men uw rykt den lauwer en den palm

Zoo

Zoo waard als bundel bylen:

Geev nimmer ſtilſtand aan uw vyands leger-plaats,

Maar veg, en zabel neer, en jaag, en ſchiet, en kaatz

Een zwarm gewette pylen!

SYMB.

De kunſt wordt nooyt dan van onweetenden veragt:

J. CLAESSEN,
S. S. Theol. & Philol.
Stud.